



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XXXVIII. Dietrich von Kerkow und seine Söhne verpfänden dem Kloster Marienpforte die Seen Boptist, Clode, Wokule und Grieben, am 3. April 1330.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

tati necnon omni iuri, quod nobis aut nostris heredibus aut successoribus possit competere, precariam ad eandem volentes ipsam adeo pleno iure et proprietate dictis personis et claustro pertinere, quod omnino nullus nostrorum officiorum ullo unquam tempore aliquid iuris aut facti nostro nomine sibi debeat vindicare, vel quoquo modo se ingerere aut aliquid attemptare. Proinde nichilominus prefate deo dedicate virgines in Christo pro stabiliore nostre donacionis firmitate nobis dederunt complete centum marcas et quinquaginta sex marcas argenti in pecunia numerata, de qua ipsas et ipsarum posteras dicimus absolutas. Et ut huiusmodi nostrum factum cum fidelium et sapientium nostrorum consilio celebratum, robur firmitatis perpetue irrevocabiliter forciatur, presentes inde confici et sigilli nostri appensione fecimus ex certa sciencia communiri. Presentibus testibus ad hoc vocatis et rogatis, scilicet Nobili Gunthero, comite de Lindowe, Henrico de Sydowe, Rieberto de Berlin, Wernero de Arneborch, Thiderico de Kerkow, Yone de Koningemark, militibus, Hermanno de Reder, Ebelino de Benz et Francone Vulf, famulis, cum aliis de nostra familia fide dignis. Datum Templin, per manus Hermannii de Luchow, feria quinta post dominicam Reminiscere, Anno domini Millefimo CCC^o. Tricesimo — —.

XXXVIII. Dietrich von Kerkow und seine Söhne verpfänden dem Kloster Marienpforte die Seen Boptist, Clode, Wocule und Grieben, am 3. April 1330.

Nos Thidericus de Kerkow, Petrus et Georrius, nostri filii eiusdem agnominis, ac alii omnes nostri heredes, publice recognoscendo protestamur, Quod conventui sanctimonialium in Boycenburch tradidimus et posuimus iuste tradicionis titulo stagna: primo Boptist, quod iacet apud villam Brodineftorp, cum duobus stagnis Clode et Wocule et stagnum cum palude, quod dicitur Grieben, circumiacente in terminis sive metis ville Brodewineftorp et in lignis dominarum iacentibus, pro triginta tribus talentis cum quinque solidis brandenburgensium denariorum in festo martini nunc proxime affuturo, tali condicione apposita, si predictam pecuniam preposito ac conventui festo prehabito non persolverimus omni pertractione postposita, coram dominis marchionibus resignabimus et resignamus prefata stagna conventui antedicto perpetuis temporibus possidenda. Insuper protestamur quod omnes fructus stagnorum piscium sive cuiuscunque utilitatis, quos ab eisdem stagnis exsequi poterimus, infra tempus presignatum nulla causa obstante dimisimus et dominabus in Boycenburch dimittimus supradictos. Preterea, si stagna predicta a nobis vel a nostris heredibus die prenarrata redempta non fuerint, ex tunc inpetere ac deinceps non valeamus. In horum igitur omnium evidens et perpetuum testimonium nostra sigilla presentibus sunt appensa. Huius rei testes sunt Dominus Gherardus de Yrkeflebe, miles, dominus Nicolaus de Sconenbeke, capellanus, dominus Thydericus, Zabellus de Kriwitz, Henricus Winttervelde et alii quam plures fide digni. Datum et actum anno incarnationis Domini M^o. CCC^o. XXX^o., feria tertia post festum palmarum.